

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Rituale Sive Obseqviale Ecclesiae Et Dioecesis  
Constantiensis**

**Constantiae, 1686**

Rubrica de sacramento extrema unctionis

[urn:nbn:de:bsz:31-132849](#)



## R U B R I C A

### D E S A C R A M E N T O

#### Exremæ Unctionis.



*Frca administrationem hujus Sacramenti aliqua sunt prænotanda.*

Primò, Sacerdos ministraturus hoc Sacramentum, infirmo alias sacroviatico jam proviso, vel providendi non idoneo quatenus fieri potest, parari curet apud infirmum mensam mappâ candidâ coopertam; itemq; vas, in quo sit bombacium, seu stupa, seu quid simile in quinque globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas, quod deinde comburatur. Scineres in Sacrarium, aut alium locum iniiciantur, ne pedibus culcentur; medullam panis, vel salem ad detergundos digitos, aquam ad abluendas Sacerdotis manus. Deniq; operam dabit, ut quantâ poterit munditiâ, ac nitore hoc Sacramentum ministretur.

Secun-

Secundo, Sacerdos ueste chorali, & stola vio-  
lacea indutus, decenter accipit vas sacri Olei in-  
firmorum, cautè illud deferens, ne effundi possit,  
ac ministro ueste chorali induto, sine lumine se-  
quente, & aquam benedictam, cum aspersorio, ac  
librum hunc ritualem portante, reverenter in to-  
to itinere recitat pro sua devotione Psalmos Pœ-  
nitentiales infra fol. 137. positos, una cum Lita-  
nijs majoribus, nisi illos malit in templo recitare,  
antequam egrediatur, aut apud infirmum ante  
Litanijs, aut cum ad templum ab inuncto re-  
dierit, pro sua commoditate & aliorum adificatio-  
ne. Optandum esset, ut aliqui Presbyteri, ubi  
copia est Sacerdotum, vel saltem Clerici eum co-  
mitarentur, propter illud Jacobi cap. 5. Si quis  
ægrotat, inducat presbyteros &c. quò in Lita-  
nijs Sacerdoti respondere, & dum ipse inungit  
Psalmos Pœnitentiales recitare possint.

Tertio, sensus inungendi sunt, oculi, aures,  
nares, os, & manus ac dum Sacerdos oculos, au-  
res, & manus ungit, caveat, ne alterum ipsorum  
inungendo, Sacramenti formam prius absolvat,  
quam ambo huiusmodi paria membra perunxe-  
rit, insuper advertat, quod manus, qua reliquis  
infir-

infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius iniungantur.

*Quarto, si infirmus sit aliquo membro mutilatus, pars illi proxima inungatur sub eadem verborum forma.*

*Quinto, si fuerit leprosus, aut peste infectus, vel nimis squallidus, vel rabidus, cum spatulâ, vel virgâ oblongâ sacram sumat oleum, & eo inungat unum sâltem sensum, omnes tamen in forma nominando prout infra fol. 135.*

*Sexto, non detur sanis, aut violentam mortem, seu ultimum supplicium exspectantibus; neq; pueris usum rationis ad peccandum sufficientem non dum habentibus; neque phreneticis, & stolidis, aut amentibus, nisi dum sanâ mente, & integris sensibus essent, illud petierint, vel verisimiliter, aut interpretative petijissent, vel signa contritionis dederint; neq; excommunicatis ab eadem prius non absolutis; neque impoenitentibus, qui in manifesto peccato mortali moriuntur.*



## ORDO